Opuscula

FERVIDI
Academiæ & Ecclesiæ
DOLORES;
in obitu

PERILLUSTRIS olim CLARISSIMI

&

ADMODUM REVERENDI DOMINI,

D. M. FRANCISCI KALEWSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Ecclesiarum; Collegiatæ Sanctorum Omnium & Parochialis Vetero-Korczynensis PRÆPOSITI, Contubernii Sisiniani PROVISORIS,

dum in Ecclesia Collegiata D. ANNÆ, cum lachrymis omnium tumularetur;

Per

M. ANTONIUM ZOŁEDZIOWSKI,

Philosophiæ Doctorem, ejusdemq; Regium Professorem, Collegam Majorem, Ecclesiarum; Cathedralis Concionatorem Garvascianum, Collegiatarum; S. FLORIANI ad Cracov: Primicerium, S. ANNÆ Canonicum, Parochialis Ilcussiensis Præpositum,

in paginam extemporaneô calamô

EFFUSI.

Annô Domini 1747. die 4tâ Decembris.

Typis Collegii Majoris Universitatis Cracoviensis.

Dolor Academiæ.

Cur nullũ in ſaxũ mea membra dolore rigeſcũt,
Nonne meo minor eſt quisq; dolore dolor.
Saxea fit Niobe nimio ſi victa dolore,
Non animum excruciant damna minora meum.
Et vivo, nec facta ſilex, ſed vivere votum eſt,
Ne ſenſum amittam, ſaxea facta, mali.
In lachrymas ibunt oculi dum vita manebit,
In queſtus voces, in mea verba dolor.
Sed quia communem communia damna dolorem
Poſcunt, in planctus & manus una parùm eſt.

Lucas Velozo.

Dolor Ecclesiæ.

HÆc mihi rapta queror vitæ ſolatia, quando
FRANCISCUM è terris mors inopina rapit,
Hinc dolor, hinc lachrymæ, neq; enim ſuſpendere fletꝰ
Si qua venit ſubitò, magna ruina poteſt.
Fundite perpetuos mea lumina fundite rivos,
Creſcant de noſtris flumina luminibus.

Idem.

FERVIDI
Academiæ & Ecclesiæ
DOLORES.

Eadem est persæpe gaudiorum & luctuum
materies!
ridet abjectis in mare opibus Crates,
flet vix nō excors unô nummô amissô avarus.
Fracta navi mergitur in lachrymis naufragus
Mercator,
ille qui Maris ejectamentîs vivit, exultat.
Plorant Parentum suorum fata filii,
at de patrimonio relicto gaudent.
Quos labor nutrit, dolent super occasu Solis,
læti quos somnus.
Eadem quoq; frequenter gaudiorum est ratio ac luctuū,
utrumq; persæpe mentimur,
in luctu hilares,
ubi gaudiorum datur materies luctuosi.
Plerumq; tranquillitas est in animo
& tempestas in oculis,
vultus ridet, at Cor doloris procellā obruitur.
Multi cæpas & allia oculis admovent, ut flere,

multi ſtibia & cerulsas,
ut ridere videantur.
Dum dolent ſeſe fingunt Democritos,
dum gaudent Heraclitos mentiuntur.
Aliàs
forinſecus ſolùm flent vel gaudent,
ut Parcæ parcunt,
ut luci lucent,
ut gemmæ gemunt,
ſic illi triſtes ſunt, vel læti.
Aliud geſtu & vultu explicant,
aliud mente gerunt, & animô cogitant,
fervent intra æſtu gaudiorum,
dum extra dolore glaciantur;
intepeſcunt medullitus, ſi fervent extimè.
Alia hìc luctuum materies & ratio;
poſtquàm
Perilluſtris olim Clariſſimus & Admodùm Reverendus Dominus,

D. M. FRANCISCUS KALEWSKI,

Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor,
Eccleſiarum; Collegiatæ Sanctorum Omnium & Parochialis Vetero-Korczynenſis
PRÆPOSITUS,
Contubernii Siſiniani Proviſor, occubuit.
Dole-

Dolemus in hujus Viri obitu omnes,
Cujus mors
Omnium quotquot docti ſumus jactura,
quotquot Doctores, omnium diſpendium,
quotquot eruditi, fatum eſt ſingulorum.
Omnes hìc ſumus Heracliti,
in luctu fervemus omnes,
cum ille calore naturali & vitâ deſtitutus,
qui & amore Superûm fervidꝰ erat *ut Seraphim,*
& ſcientiam DEI callens *ut Cherubim.*
Callidum tamen ne dixeris;
Veritati ſtuduit tenerior Catholicus,
veritatem inveſtigavit Philoſophus,
veritatem docuit Doctor Theologus,
hypocriſim ignoravit.
Quanquam in operando fuit fervidus,
ſtudiô Literarum ferbuit,
callidus non fuit,
contra neminem efferbuit.
Implevit Cognomen ſuū abſq; omni defectu,
Aurelios, qui ſine ſcoria,
Fulgentios, qui ſine fulgure & fuligine
Lucios, qui ſine fumo vixerunt; æquavit.
Nec Nomen inane geſſit,
quia non in Umbria natus,
ortus non quidem illuſtres habuit, ſed claros,

in Majori Polonia non exiguos.
Patriam tamen
ceu *Umbriam FRANCISCUS illuſtrem fecit* *
& docuit;
Soles ex umbris prodire,
gemmas in concha naſci,
inter fragmina rupium adamantes,
nucleum in cortice.
In hoc erga Patriam fuit injurius,
quòd Majoris Poloniæ Filius,
ut à teneris cæpit,
minimum ſe usq; ad extremum, ſenſit.
Scientiâ etiam ſupremâ non inflatus,
virtute quantumvis ſublimi non elatus,
meritîs licet grandibûs non turgidus.
Non ut coaxantes ranæ vivunt, vixit,
non ut folles ventô inflati tumuit,
non ut attollunt ſe inanes ariſtæ, ſe extulit.
Quantumvis gigantes æquavit,
palmô ſe ſemper menſus eſt.
Teneram ætatem Muſis Academicis
Poſnaniæ excolendam præbuit,
& Laureis Doctoralibus in Pineto, *
Sacris & profanis Cathedris in Tuſculo,
in Iſthmo etiam vaſta abſorbente ingenia,
Philoſophico & Theologico præluſit æquori.
Et

* Basquier. * Stemma Academiæ Poſnan: Pinus.

Et quia
ad præmia eruditæ virtutis,
inter Regni Provincias,
minimam Majorem noverat Poloniam;
ſecum in Minorem
virtutē & eruditionē detulit non exiguam,
ut aurum ad coronam,
ut gemmam ad annulum,
ut divitem gazam ad pretium.
Eatenus
Laureæ Philoſophicæ ingeſſerunt ſe ultro ejus capiti,
ut cum gloria ipſarum ſit, non cuilibet vertici inſediſse,
& ornarentur ipſæ, & ornarent.
Succeſsêre vota,
acceſſit Laureis honor,
quòd tam eruditum Verticem obſederint,
acceſſit Capiti,
quod quæ ſummos Vertices ornant Laureæ,
in eo conſederint.
Et quanquàm
Laurea aliis à laborum æſtu umbra eſt;
Ille ab otio ſemotus,
à ſocordia alienus,
quietis planè ignarus,
vixit ſub Laureæ operoſus.
Laurea eum ad agenda fortia provocavit,
ut ſangvis viſus ad iram elephantem,

Miltiadis trophæa ad generosos actus Themistoclem.
Non ergo sub lauru dormiit,
sed ad Scholas Pinczovienses destinatus Professor,
in Illustrissimum & Excellentissimum Dominum,

D. JOSEPHUM
Marchionem in Mirow
GONZAGAM
MYSZKOWSKI,

Castellanum Sandomiriensem,
Fundatorem obsequia,
in Juventutem eruditionem,
in Cives omnes profudit affectus.
Cos acuendis ingeniis,
exercendis speculum,
imitaturis vix imitandum exemplar datus.
Nobilî ingeniô primũ Studentibus Professor,
post Docentibus præivit, Studii Director.
In eo æquavit Aristotelem,
quòd ut illi Alexander,
sic huic *Perillustris & Reverendissimus Dominus,*

D. ADAMVS
KOMOROWSKI,

Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis,
Col-

Collegiatarum; S. MICHAELIS in Arce
Cracovienſi & Pilecenſis
PRÆPOSITUS,
ABBAS Commendatarius Andreovienſis,
in quem Inſulæ & Regni Miniſteria conſpirāt,
&
Illuſtris ac Magnificus Dominus,
D. STEPHANVS
TĘGOBORSKI,
Capitaneus Bochnenſis,
Aviti ſui Srzeniavæ gemma & pretium,
inſtituendi obtigerant.
Inde ad Univerſitatem rediit,
Ariſtotelem interpretatus doctè,
Veterū Philoſophorū errores refutavit ſolidè,
Novatorum eliſit, & eluſit fortiter.
Meritò Artiſtarum Princeps evaſerat,
ſangvineo ſudore allicuit Purpuram,
ut geſtaret,
gemmeo tinxit, ut ornaret.
Poſthàc Cathedram Theologicam aſcendit,
& ut in naturalibus ſcientiis Ariſtotelem,
ſic in ſupernaturali *THOMAM* vix non attigit,
in docendo planus,
in arguendo ſubtilis,
in ſolvendo promptus,

in explicando facilis.
Evolvit quod in Summa *THOMÆ* reconditũ,
enucleavit, quod difficile,
explicavit quod nodosum,
resolvit quod ambiguum.
Meritò Lydius ingeniorum lapis effectus;
octenniô ordinandorũ & approbandorũ Examinator,
curavit ut *ab Aris idola arcerentur,*
à Vinea Domini trunci & stolones,
ab Ovili CHRISTI Pastores ignavi,
à Sacro Tribunali Judices indocti.
Ipse bonorum Pastorum forma,
exemplata Cleri idea,
ut intaminatè vixit,
sic Ecclesias rexit prudentissimè.
Tutelarem suum imitatus,
cum Lateranensem ille,
hic Zielonecensem primò, post Vetero-
Korczynensem Ecclesias,
non suffulsit modò,
sed è mediis ruinis extulit;
in ornamenta suarum Sponsarum effusus,
in commoda liberalis,
in usus prodigus.
Erga Oves affectu propensus,
erga subditos benevolentiâ plenus,
erga

erga omnes affabilitate conſpicuus,
ad omnem bonitatem à natura compoſitus.
Acer tamen in vitia,
ut illa ipſe abhorruit,
ſic ab eis non unum deterruit.
Tantus illi in prædicando zelus,
ut Verbo Domini uteretur pro gladio
ſcelera plecteret, ut ad virtutem inflecteret.
Blandus tamen etiam cum in vitia inveheretur erat;
aſpera ſemper ſvaviter locutus,
vehementia leniſſimè.
Idcirco Cathedralem vocatus ad exedram,
trienniô principaliſſimis ibidem Feſtis prædicavit,
quòd Sacrorum Oratorum prope Princeps haberetur.
Hinc apud Principes æſtimationem,
apud Sacrum Senatum gloriam,
apud omnes plauſus meruit.
Domi verò Doctoralis illi
in Theologia creſcebat Laurea,
pro qua ut pro Troja Hector,
in Cathedra Profeſſor decenniô decertabat.
Et hanc tamen,
ut in præteritorum laborum præmium,
ſic in ſubſequentium pignus acceperat.
Sudores alios illa abſterſit
& alios provocavit.
Sceptris enim Rectoralibus eam conjunxit;

quæ qui gerit,
multitudine curarum obruitur,
negotiorum mole premitur,
continua ſolicitudine obſidetur.
Arduum quippe & difficile
Doctorum & liberorum regimen eſt,
Sapientibus præeſſe,
Ars artium & quædam ſapientia ſapientiæ *
Sciverat hanc artem
ter Univerſitatis RECTOR Magnificus,
ſapientes ſuaviter,
liberos rexit efficaciter.
Fortitudinem cum lenitate miſcuit,
Authoritatem gratiâ temperavit,
Juſtitiæ clementiam adjunxit.
Nonunquam Sceptra in vapulatorias delinquentũ virgas aptavit,
ſed quæ nonunquam umbratiles niſi ictus facerent.
Iliadem nucleô premo;

Rector Vniverſitatis erat,

qualem & aurea Sceptra,
& Regnum exigit Literarum.
In Cathedra Theologica Profeſſor,
qualem ſupernaturalis poſcit ſcientia,
in Philoſophica, quantum rerum Divinarum,
& humanarum cognitio.

Aca-

* *L: Abbł.*

Academiam doctîs,
Ecclesiam sacrîs laboribûs cumulavit,
utriusq; gloriam auxit meritîs vivus,
utriusq; dolores provocat extînctus.
Lugent Doctorem Cathedræ,
Exedræ Oratorem sacrum,
squallent, quas erexit Aræ,
vestimentîs viduitatis suæ indutæ,
flent suum Sponsum Ecclesiæ.
Nec mirum quod tanti Viri fata,
etiam Vobis ultimæ voluntatis Præstites,
sunt ad divisionem animarum,
ad tormenta viscerum,
ad pressuram cordium.
Ploras seniô & rectitudine candidum olorē,
Perillustris & Reverendissime Domine,

D. M. MATHIA ZIĘTKIEWICZ,

Sacræ Theologiæ

Doctor & Professor,

Collegii Majoris SENIOR PATER,
Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis
CANONICE,
Parochialis Zarnovecensis PRÆPOSITE,
Librorum Diœcesane CENSOR, &c.

quòd illum Tibi amicum eripuerunt fata,
cum quo erat Tibi unum cor & anima una.
Venis & Tu in partem luctuum.
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine,

D. M. ADALBERTE
GOSZKOWSKI,

Sacræ Theologiæ Professor,
Collega Major, Ecclesiarum Collegiatarum;
S. *FLORIANI* ad Cracov: Canonice,
Visliciensis Decane, Parochialis
Prosovicensis Præposite,
qui ut Tuos affectus exhibebas vivo,
ita tactus dolore cordis intrinsecùs,
mæstus exhibes mortuo.
Augent pompâ funebrẽ Academici Ordines,
& dum unâ quasi pupillâ
extinctum sibi lumen plorant,
ego in hac pagina velut in spongia,
collectas dolentium lachrymas exhibeo.

Executoribus sera fata,
Defuncto in instanti æternam precor
requiem.

22.000,-

3.XII.13



Bibliotheca
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej

02350